



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Circumstantiæ in quibus non adhibetur fides, num. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

extraordinariam, nempe te fuisse infectum ex loco frigido, vel ex hospitij infecta suppellectili, vel, ut accidit infanti cuiusdam mei per familiaris, ex lacte nutricis infecta.

h. Bon. l. p. 3. n. 9. i Id ib. contra Nav. aliosque, absolute negantes, esse peccatum.

Circumstantia, in quibus non adhibetur fides.

5. Tertia; si cum ijs circumstantijs, & ab ijs personis, tam vilibus & nullius auctoritatis narretur crimen, ut audientes non sint credituri, mortale peccatum evitatur. Quod si tu, eo quidem modo narres, ut prudenter non sit tibi fides adhibenda, sed tamen vides, audientes, vel ex sua levitate, vel ex alia malitia fore credituros, peccabis quidem contra charitatem, quia cum facile possis, tacendo impedire malum graue proximi, non impedis, sed non peccabis contra iustitiam, quia causa infamiae non est, ut supponimus, tua loquacitas, sed levitas credentium.

a Less. l. 2. c. 11. dub. 5.

5. Quid, si quis dicat, se illud crimen proximi audisse ab alijs, maxime si nominet, dicti infidum authorem, ad cuius fidem veritatem remittat? respondendo, pari modo peccare, & quidem contra a iustitiam. Nunquam enim mihi placuit, hunc omnino excusari, ut excusat Reginaldus b & Marcus c Vidal, putantes, huic referenti communiter fidem non dari; video enim contingere oppositum, fidem scilicet adhiberi communiter, si non certissimam

eius tamē generis, qua re ipsa læditur d fama proximi, vel saltem, quia ejusdē fama certa ponitur in dubio. Solum igitur tunc à mortali excusabitur, quando tam modica, omnibus expensis, ex ejusmodi relatione ingeneraretur suspicio, ut revocaretur ad materiae parvitatem. Illud notat Clavis Regiae, eamdem detractionem, si fiat apud viros graues, grauiorē fore, quàm si apud populares. Verum recole, contrarium non semel contingere; nam detrahere apud vnū vel alterum virū gravem, qui iudicetur, non locuturus, jamjam videbimus, non esse peccatū; esse, apud populares, facile oblocuturos.

aa Dicast. l. c. p. 2. du. 4. nu. 174.

b Regin. li. 24. n. 77. alijque apud Dian. p. 3. tr. Miscell. 5. ref. 28. c Vidal. in Arca vitali, Inquis. de detract. à num. 45. d Bon. l. c. p. 5. locus l. 4. de just. c. 6 art. 3. Molina tr. 4. d. 30. Laym. alijque apud Dian. l. c. quib. adde Delugo de just. t. 1. d. 16. num. 58. e Clavis Reg. l. 12. c. 6. n. 5.

7. Quarta; is, qui proximi crimen vni vel duobus refert, qui prudenter creduntur non esse alijs relaturi, excusatur f saltem à mortali; modo nullum aliud damnum proximo securum timeatur; ratio est, quia moraliter perinde est, ac si crimen taceretur. Excipio cum Læsiō casum, quo prudenter iudicatur quis nosse rationabiliter, ut sua fama apud illum vnū denigretur, ut esset in religioso, qui mallet suum crimen sciri à sexcentis, quàm à suo Pralato, à quo multum dependet.

Zzz

8. Hinc